DISPUTATIO
DE VARIOLIS ET MORBILLIS
Tertia:

Continens πραγματολογίας partem secundam: in qua variæ quæstiones ad cognoscendam Variolarum & Morbillorum naturam necessariæ deciduntur, ipsaque horum affectuum definitio & differentiæ traduntur atque explicantur:

Publici exercitii gratia in Argentoratensium Universitate proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO MEDICINÆ DOCTORE AC PROFESSORE, COM. Palat. Cæsar. Reip. Archiatro, & Academ. h. t. Rectore:

RESPONDENTE

JOANNE JACOBO Wepfer/ Schaphusiano.



ARGENTORATI,

Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M. DC. XLII.



VIRO

NOBILISSIMO, CLARISSIMO,
& Experientissimo,
DN. JOH. ALBERTO SEBIZIO

Medicinæ Doctori apud Argentinenses eximio:

VIRIS item

AMPLISSIMIS ET CONSULTISSIMIS,

DN. JOH. JACOBO WEPFERO

Senatori apud Dissenhofianos spectatissimo & gravissimo:

DN. GEORGIO MICHAELI WEPFERO

Reipublicæ Schaphusianæ Secretario dignissimo:

Dominis Patronis, Fautoribus, Promotoribus, Patri & Parenti omni honoris & amoris cultu jugi observandis,

Hujus Exercitij Academici submissâ oblatione

Tùm pro innumeris in se collatis beneficiis gratissimum semper animum pollicetur,

Tùm favorem & amorem eorum sibi conservare & continuare conatur

JOH. JACOBUS WEPFER.
Schaphusianus.

QUÆSTIO I.

An Variolæ sint morbi?



Omina variolarum, nominumque rationes proposuimus disputatione prima: & de existentia illarum egimus disputatione secunda, an scil. priscis etiam seculis fuerint grassatæ, adeóque veteribus Medicis, Græcis pariter atque Latinis, cognitæ & perspectæ? Nunc hac tertia ad quidditatem variolarum progrediemur, earumq; naturam, essentiam & differentias explicabimus: sed priùs varias enodabimus quæstiones, quarum decisiones ad cognoscendam variolarum naturam non parùm profuturas speramus.

Priusquam verò ad problematis explanationem accedamus, duo annotāda arbitramur. Unum, *quòd sermo nobis sit in specie de illis variolis, quas recentiores voce græca* ἐκθύματα, *interpretes* Avicennæ *elevatas apparitiones, alij papulas & pustulas,* Germani die Kindsblatern / die Bocken / die Purplen / oder die Barblen *vocant: non de Morbillis, quos* ἐξανθήματα, ἐρυθρήματα, *apparitiones, sive variolas planas, rosalia, rubellas, & rubeolas, nostrates* die Masern / die Kindsflecken / die Rhöte *appellant. Voces enim istæ sæpiùs inter se confunduntur ut monstratum quæst. 9. disput. 1.*

Alterum, *quòd vocabulum morbi hîc non generaliter pro quavis re, quæ nos afficit, seu non pro quavis molestia, quæ corpori accidit, sed propriè & specialiter, pro tertia specie affectus præter naturam accipiatur, quæ actiones* πρώτως, ἢ ἀμέσως, *primò & immediatè lædit.*

His distinctionibus præmissis, respondemus, non omnes variolas pro morbis haberi posse: sed tantùm illas, quæ actiones primò & immediatè offendunt. Quæ iis officiunt interventu

alicujus morbi, causas esse dicimus. Quæ plane non incommodant actionibus, symptomata vocamus: sive externas, sive internas partes occupent.

Immediatè actiones violant *variolæ manuum: quoniam impediunt apprehensionem: variolæ pedum: quia ambulationem, seu progreßionem remorantur: variolæ frontis & palpebrarum: quoniam motui harum partium obsunt, & propterea etiam in morborum albo collocantur.*

Mediatè actiones affligunt *variolæ narium, faucium, asperæ arteriæ, aurium, gulæ, intestinorum &c. quia mediante obstructione, quam pariunt, respirationem, vocem, auditum, deglutitionem, & fæcum transitum impediunt.*

Nullis obsunt actionibus *variolæ externæ thoracis imique ventris parti hinc inde adhærentes: item quæ sedem suam in dorso, natibus, & cute capitis colliq; habent: hocque nomine in classe symptomatum reponuntur: & simplices corporis affectus, seu mutatæ qualitates nominantur. Tactu enim visuque percipiuntur.*

II.

An internarum partium variolæ nunquam sint symptomata: sed semper vel morbi, vel causæ morborum?

Horatius Augenius *l. 9. de febrib. cap. 3. posterius defendit: & variolas internarum partium actiones semper lædere sibi persuadet: vel primò & immediatè, vel saltem mediatè & interventu alicujus morbi, quem produxerunt: ac proinde illas morborum, has morbificarum causarum nomen mereri arbitratur.*

Verùm *uti plerasque variolas internas vel morborum, vel causarum morbificarum rationem habere concedimus: sic inficiamur, nullas prorsus symptomata appellari posse. Nam quæ v. g. externæ solùm ventriculi, intestinorum, uteri, vesicæ, re-*

cæ, renum, lienis, hepatis, aliarumque partium superficiei insident, suntque numero pauca, & magnitudine parvæ atque exiles, nulli actioni adversari videntur: ideóque pro symptomatibus & qualitatibus mutatis meritò habentur. Sunt enim res præter naturam, quoniam non nisi in ægris corporibus visuntur. Proinde referendæ videntur ad certam aliquam affectus præter naturam speciem. Cùm verò neque ad morbos, neque ad causas morborum reduci queant: quòd neque ἀμέσως, *neque* ἐμμέσως *actiones lædant, sequitur, ad symptomata revocandas esse.*

III.

Quodnam sit variolarum genus proximius?

Videtur esse Tumor præter naturam. Visus enim tactusque fidem faciunt, partem affectam majorem acquisivisse quantitatem, quàm naturæ earum conveniat.

Verùm cùm tumores sint ratione quantitatis triplices: magni, parvi, minimi: & magni sua quadam prærogativa, & secundum communem loquendi consuetudinem, penes quem, ut Horatius *ait, & jus est, & lex, & norma loquendi, tumores appellentur: parvi tubercula: minimi papulæ: sciendum, variolas, quòd velut parvi vari sint, ad tumores minimos, ac consequenter ad papulas & pustulas pertinere.*

Quodsi objiciatur, variolas, cùm erumpunt, & apparere incipiunt, uti fieri solet utplurimùm die tertio, aut quarto, non sub specie pustularum, sed macularum rubrarum sese conspiciendas offerre, ac propterea tùm non pustulas, sed maculas & exanthemata solùm cutisque efflorescentias esse: Respondemus, maculas illas nondum variolas esse, quòd varis similes non sint: sed prodromos, sive præludia, & principia duntaxat variolarum: ac ob id mutatas solùm qualitates. Ut enim inchoata mechanicorum opera nondum id esse dicuntur, quod esse censentur,

tur, cùm perfecta ſunt atque abſoluta: ſic neque maculæ illæ & rudimenta variolarum nomen variolarum merentur: quia adhùc ſunt in fieri. Variolæ autem appellantur & ſunt, cùm factæ, conſummatæ, & abſolutæ: quia tùm demùm res nomina ſua acquirunt, cùm perfectionis ſuæ gradum ſunt adeptæ. Itaque variolæ rectè ſub tuberculis, vel puſtulis, pro ut majores, minoreſve ſunt, comprehenduntur: quoniam tuberculorum, vel puſtularum formam habent.

IV.

An in variolis unus & ſimplex, an varii morbi deprehendantur?

Varij ſanè & multiplices.

I. Intemperies: *tùm ratione febris, quæ variolis ferè ſemper eſt adjuncta: tùm ratione puſtularum, quæ quaſi parvæ ſunt inflammationes. Eſt autem intemperies puſtularum ratione calida & humida: ac ob id compoſita: eſtque materialis: quoniam ſanguis puſtularum iſtarum cauſa eſt.*

II. Mala conformatio *in figura, meatibus, & ſuperficie.*

Quàm enim figura *tùm aliarum partium, tùm inprimis faciei, oculorum, naſi, labiorum, aurium, manuum, pudendorumque in virili ſexu vitietur,* ἀυτοψία *docet, in illis maximè, qui copia & multitudine variolarum laborant.*

Superficiem corporis *mutari, patet ex eo, quia præſentibus variolis aſpera fit planéque inæqualis: adeò ut quædam cutis partes emineant, quædam verò planæ ſint, atque depreſſæ. Vt nihil jam dicamus de cute cruſtis obducta, cùm variolæ ſunt exiccatæ.*

Quòd cavitates *afficiantur, ex naribus, auribus, faucibus, aſpera arteria, fiſtulis pulmonum, partibus aliis, cavitatem habentibus, abundè conſtat. Hæ enim non raró à variolis aut anguſtantur & coarctantur, ſi variolæ extra cavitates ſitæ ſint: aut obſtruuntur, ſi illas occupent.*

Eadem

Eadem ratio est meatuum, *& cumprimis pororum cutis. Nam sanguis ad illam confluens, ita poros ejus infarcit, ut morbum, qui densitas, vel obstructio dicitur, creet: à quo posteà actio, evacuatio scil. sudoris & halituum, inhibetur.*

Eadem denique ratio est venarum capillarium. *Etenim ebulliens sanguis, cùm fertur ad venulas cutis, calore & copia sua orificia illarum dilatat & aperit, ut sanguis excidat, porosque cutis occupet, variolasque tandem producat.*

Ab hac eadem causa etiam aliarum venarum oscula reserantur, ut sanguinem non ampliùs retinere queant, sed eundem dimittere necesse habeant.

III. Magnitudo aucta. *Nam cùm dictum sit, variolas pertinere ad tumores, quia pustulæ & tubercula sunt: tumores autem ad morbos in aucta magnitudine referantur, perspicuum est, variolas morbos esse in magnitudine p. n. aucta. Tuberculis istis associantur tumores quarundam partium evidentes, & effatu digni, oculorum, nasi, genarum, labiorum, linguæ, aurium, manuum ac pedum extremorum, ut decumbentes leprosis haud absimiles videantur: qui tumores non tantùm à repletione, & copia sanguinis in hasce partes effusi, verùm etiam à calore effervescentis sanguinis oriuntur. Hic namque tùm ipse dilatat & elevat: tùm vapores gignendo crassos efficit, ut partes tollantur in altum.*

IV. Magnitudo diminuta: *quæ tamen demùm post variolas exiccatas & ferè ablatas conspicitur: estque macies totius corporis: quæ in quibusdam est major: in aliis minor: causasque varias habet: scil. calorem febrilem, triplicem corporis nostri substantiam depascentem, inappetentiam, inediam, vigilias &c. Ad hunc morbum etiam pertinent foveæ & vestigia, quæ non raro variolæ post se relinquunt.*

V. Numerus diminutus: *quia observatum, variolas oculos, aures, nares, suras, nates, partes alias abstulisse corrodendo.*

VI. Connexio partium, *quæ debebant esse à se invicem*

cem separatæ: ut videre licet in oculis, quorum palpebræ multis sæpè diebus sunt commissæ, quas tamen ad visionem decet esse interdiu ab invicem sejunctas.

VII. Continui solutio. *Contingit enim cuticulam à cute, & hanc à subjecta carne separari: idque propter affluxum sanguinis ad cutem. Ut nihil dicamus de ulceribus, quæ variolæ, cùm suppurantur, propter acrimoniam & mordacitatem puris, inducunt.*

V.

An variolæ sint morbi universales?

Morbus universalis dicitur, non qui à Fernelio *vocatur totius substantiæ. Hic enim morbus formæ, ab aliis occultarum qualitatum appellatur. Nec qui communis est. Iste namque à causa communi ortum habet, pluresque uno tempore ob causæ communitatem aggreditur. At non omnis universalis morbus occultus est: neque omnis universalis ob causam communem plures eodem in loco eodemque tempore affligit. Sed qui totum corpus occupat, aut maximam saltem illius partem: oppositus particulari, qui unam duntaxat aliquam particulam obsidet. Universalis ergò ratione* subjecti, *h. e. corporis, cui inest, non ratione formæ, vel causæ, vel effectorum, vel invasionis, appellatur.*

Ad quæstionem igitur respondemus: etsi variolæ non in omnibus totum corpus occupent: quia tamen hoc plerunque, & in plerisque hominibus faciunt, & facere aptæ sunt, eas pro universalibus morbis habendas esse. Etenim causa illarum, sanguis, in plerisque vasis, præcipuè tamen grandioribus, ebullit, indeque per venas atque arterias, tanquam per tubos, sive aquæductus, in omne corpus derivatur. Universales quoque morbi dici queunt ratione febris, quæ ferè semper iis adstat. Hanc enim πρώτως *quidem cor:* δευτέρως *autem reliquum corpus occupare, extra dubium est. Obsident autem variolæ non externas duntaxat partes: verùm etiam membra interiora:*

quem-

quemadmodum tùm plurimi alij, tùm etiam Fernelius *l.* 2. *de abdit. rer. cauſ. c.* 12 Paræus *l.* 19. *c.* 1. Augenius *l.* 9. *de febr. c.* 2. *ex* Avicennæ *l.* 4. *Can. fen* 1. *tract.* 4. *c.* 6. *notant.*

Quodſi objicias, *in quibuſdam valdè paucas obſervari variolas, quæ non dicam non totum corpus, ſed ne quidem magnam illius partem occupant. Ideóque rationi conſonum eſſe, eas univerſalis morbi nomen minimè mereri. Reſpondemus, eandem quoque rationem eſſe aliorum affectuum, v.g. elephantiaſeωs, luis Venereæ, paralyſeωs, ſpaſmi &c. qui univerſales appellantur, cùm tamen non in quovis ſubjecto totum corpus obſideant. Tales verò nominantur, vel quia in plerisq; hoc faciunt: vel quia apti ſunt, ut, ſi vires acquirant eundo, totum corpus inficere valeant.*

VI.

An variolæ ſint morbi epidemii? an σποραδικοὶ?

Morbi epidemij ſub communibus continentur. Dicuntur autem communes, gr. κοινοὶ, ἢ πάγκοινοι, ἢ πάνδημοι, *illi, qui ejuſdem ſunt ſpeciei, & multos uno aliquo in loco, urbe, aut regione, uno eodemque tempore corripiunt: idque ob communitatem cauſæ, quæ omnes tangit. Opponuntur ergò morbis, qui vocantur* σποράδες, *ſive* σποραδικοὶ, *diſperſi, ſiue diffuſi ac diſſeminati, qui non multos univerſim & communiter, ſed ſeparatim ſparſimque unumquemque apprehendunt: quemadmodum* Galen. in præfat. l. 1. epid. *docet. Hi morbi ejuſdem ſpeciei non ſunt, ſed diverſæ: & non dependent à cauſa aliqua communi: ſed vel à propria cujuſque conſtitutione, vel peculiari cujuſque victus ratione. Ideóque ſingulos ſeparatim aggrediuntur. Vagantur plures ſimul: ex quibus alius alium invadit: hunc v.g. pleuritis: iſtum nephritis: illum* φθίσις. *Verùm morbi* κοινοὶ *duplicis ſunt generis: alij* ἔνδημοι, ἢ ἐνδήμιοι, *patrij, vernaculi, & alicui regioni familiares: ut ſcorbutus incolis littoris Balthici:* φθίσις *Romanis: lues Venerea inhabitatoribus*

 Indiæ:

Indiæ: Bronchocele Carinthiis & Tyrolensibus: suntque aliqua in regione frequentes & perpetui, omnesque ex æquo apprehendunt, ob causam, quæ omnibus communis: v.g. ob aërem, aquas, victum; de quibus Hipp. l. de aër. aq. & loc. *verba facit. Alii* ἐπίδημοι, ἢ ἐπιδήμιοι, *vulgares & populariter grassantes, qui à communi aliqua causa sunt profecti: non tamen patrii sunt, & regioni familiares, ut priores: sed potiùs externi, peregrini, & adventitii: iique rursùs duplices: vel* λοιμώδεις, *pestilentes, qui contagiosi, venenati, omniumque perniciosissimi: vel* μὴ λοιμώδεις, *non pestilentes, sed his mitiores benignioresque. Proprio carent nomine, & generis nomen retinent, dicunturque* ἐπιδήμιοι.

His præmissis, respondemus, *variolas multoties morbos esse* ἐπιδημίους: *at non semper. Epidemios esse, testata sunt tempora apud nos tria: autumnus, hyems, & ver elapsum. Hisce enim temporibus mirum in modum variolæ sunt grassantæ: & hac adhuc ineunte æstate non prorsùs cessarunt.*

Idem testantur Pragmatici multi: præsertim verò observationum medicarum Scriptores: inter quos haud postremus Petrus Forestus. *Scribit enim, fuisse variolas & morbillos Anno* 1551. *Alcmariæ adeò epidemios, ut vix puer esset, qui non vel illis, vel istis laboràsset:* l. 6. observat. 41. *Idem ibid. observat.* 44. *refert, variolas Anno* 1562. *à mense Octobri per totam hyemem, & Anno* 1563. *per totam æstatem Delphis grassatas esse adeò, ut non solùm pueri & juvenes, verùm etiam senes aliqui, qui jam olim variolas & morbillos passi erant, rursùs in illos inciderint.* Amatus Lusitanus *memorat, idem sua in patria Anno* 551. *contigisse, aëre existente humido, nebuloso, & ob id putredinis authore qualis etiam magna ex parte apud nos fuit hyeme præterita.*

Quod autem variolæ etiam quandoque sint affectus σποραδικοὶ, *eadem monstrat experientia. Etenim accidit, ut unus & alter solùm variolis conflictetur, nulla communi urgente causa: quæ aliàs communibus morbis ansam atque occasionem præbere solet.*

VII. An

VII.

An variolæ ſint contagioſæ?

Morbi contagioſi dicuntur illi, qui ſui ſeminium & inquinamentum in aliud corpus transfundunt, & per illud ſimile vitium in alio corpore excitant. Tales morbi ſunt plerique venenati, peſtilentes, & epidemij alii: ut peſtis, febris maligna & petechialis, tinea, lepra Arabum, quæ dicitur ἐλεφαντίασις, *rabies canina, lues gallica,* φθίσις, *quædam dyſenteria, ſcorbutus, ſcabies &c.*

Eſſe autem variolas contagioſas, I. probat authoritas omnium Pragmaticorum. II. Experientia docet. Hæc enim teſtatur, eos, qui vel nondum variolas ſuſtinuerunt: vel ſuſtinuerunt quidem, ſed inſufficienter, infici, ſi infectis cohabitaverint, aut illorum induſiis, linteaminibus, veſtimentis &c. uſi fuerint: illi maximè, qui eodem ſanguine creti: & tùm præcipuè, cùm variolæ ſunt malignitatis participes, & populariter ſæviunt. III. Ratio convincit: quoniam in variolis ea omnia animadvertuntur, quæ ad morbum contagioſum requiruntur. Primùm corpus infectum ea ægritudine, qua corpus aliud inficere debet. Deinde inquinamentum ipſum, per quod morbus alteri corpori communicatur: quod tamen morbus non eſt. Cùm enim morbus ſit accidens, ex ſubjecto in ſubjectum migrare nequit. Sed inquinamentum iſtud corpus eſt, & veluti quoddam ſemen, quod alij corpori adhærens excitare valet in eo affectum, qui ſpecie idem eſt cum illo, quo corpus, unde manavit, laborat. Vocatur aliâs à Medicis ἀπόῤῥοια, *defluvium,* μίασμα, *labes, &* νοσηρὴ ἀπόκρισις, *morbida ſecretio. Habet autem ſat virium ad producendum ſimilem morbum in alio corpore: quia licet mole ſit exigua: virtute tamen longè eſt maxima & potentiſſima. Deinde quia* ἀπόκρισις *iſta tenuis eſt atque ſubtilis: hancque ob cauſam facilè penetrat, ſeſeque inſinuat. Viſcoſitatis inſuper aliquid habet, ut adhærere, & aliquandiu durare poſſit. Tertiò corpus patiens, quod ita diſpoſitum eſt, ut ſimilem labem contrahere valeat.*

Cæterùm tùm potiſſimùm ſolent variolæ eſſe contagioſæ, cùm ſuppurantur: id quod in ſtatu & principio declinationis fieri conſuevit. Eo enim tempore præcipuè exuſcitantur ejuſmodi μιάσματα, *quæ requiſitis & conditionibus recenſitis ſunt prædita. Atque hæc cauſa videtur, quòd morbilli variolis minùs ſint contagioſi: quoniam nunquam ſuppurantur. Fratres etiam & conſanguinei faciliùs inficiuntur, quàm qui inter ſe cognati non ſunt: quoniam ſimiles quodammodò ſunt: & quidem ratione ſanguinis, unde ortum duxerunt. At quò quæque ſibi ſunt ſimiliora, eò citiùs & faciliùs ſe in conſenſum trahunt.*

VIII.

An Variolæ ſemper ſint malignæ & peſtilentiales?

Quòd variolæ ſint malignitatis & peſtilitatis alicujus participes, ſequentibus probari poteſt rationibus. I. quia authores ſcribunt, variolas vel peſtem antecedere, vel ſequi. II. quia populariter ſæpè peſtis in modum graſſantur. III. quia peſtis inſtar ſunt contagioſæ. IV. quia non ſecus ac peſtis plurimos tollunt è medio. V. quia characteres malignitatis in illis obſervantur: fœtor quandoque intolerabilis; præſertim cùm ſunt ſuppuratæ, & verſæ in cruſtas: fœditas & deformitas corporis abominabilis: color lividus, plumbeus, violaceus, niger: inſignis virium debilitas, convulſiones, ulcera maligna, diarrhϾ & dyſenteriæ lethales. VI. quia alexipharmacis, & iis remediis utimur, quæ adverſus κακοήθειαν *pugnant. VII quia aer ſæpè occaſionem variolis præbet: præſertim cùm modo abdito eſt infectus. VIII. quia plerunque, ut peſtis, auſtrinis dominantur conſtitutionibus, quando nimirùm hæ diutiùs perſeverant.*

Verùm plauſibilior illorum eſt ſententia, *qui perſuaſum habent, variolas non ſemper malignas eſſe & peſtilentes: idque*

ex

ex ſymptomatibus planum faciunt, quæ nihil malignitatis præ ſe ferunt. Verum hoc eſſe, multorum variolæ præteritis temporibus hujus & antecedentis anni confirmârunt. Dicimus ergò, variolas aliquando cum malignitate conjunctas eſſe: interdum verò malignitate carere: non ſecus ac bubonas & carbunculos: qui quandoque benigni ſunt, nonnunquam vero κακοηθεῖς: *quales ſunt carbunculi peſte correptorum, & bubones tùm horum, tùm etiam gallica virulentia contaminatorum.*

Proinde ad primum argumentum *reſpondemus, falſum eſſe, quòd variolæ peſtem ſemper & neceſſariò vel præcedant, vel ſequantur. In teſtimonium adhibemus experientiam, quæ quod dicitur, confirmat.*

Ad ſecundum. *Non omnes variolæ ſunt epidemiæ: ſed quædam etiam* σποραδικαὶ, *ut ſuprà probatum. Et ſi maximè epidemiæ eſſent, non tamen inferretur, ob id* κακοηθεῖς καὶ λοιμώδεις *eſſe. Sunt enim epidemÿ quidam affectus, qui omnis tamen* κακοηθείας *ſunt expertes: v.g. diarrhææ & dyſenteriæ æſtivo tempore à calore & ſiccitate nimia, nimiove fructuum horæorum eſu contractæ: tuſſes, raucedines, & gravedines hyeme ex frigida humidaque aeris conſtitutione natæ: febres tertianæ, aliique affectus, de quibus* Hippocrates *ſect. 3. aphor. verba facit: qui vel ob aeris intemperies, vel pravam victus rationem tyrannidem ſuam in multos exercent.*

Ad tertium. *Peſtis quidem contagioſa eſt: at non omnes cōtagioſi affectus peſtilentes ſunt atq; maligni. Etenim ſcabies, tinea,* φθίσις *&c. mala ſunt contagioſa: at neutiquam maligna.*

Ad quartum. *Inficiamur, peſtem & variolas omnes pari crudelitate in hominum vitam ſævire. Præteritis quippe temporibus plures convaluerunt, quàm expirârunt. Perire plurimos per variolas malignas, concedimus. Perire autem tanto numero per eas, quæ mitiores ſunt atque benignæ, prorsùs negamus. Falſum prætereà eſt, omnes illos affectus peſtilentes eſſe, & malignitate imbutos, qui multos interimunt. Nam & alii quidam affectus tales forent, qui plurimos extinguunt: v. g.*

χαῦσοι, apoplexia, phrenitis, pleuritis, peripneumonia, φθίσις, dysenteria, hydrops &c.

Ad quintum. *Malignitatis characteres in quibusdam duntaxat variolis deprehenduntur: non in omnibus. Ergò quædam solùm malignæ sunt & pestiferæ, non omnes. Testatum facit experientia, multos, imò plurimos, commodè satis degere per variolas, nec symptomatibus suprà narratis vrgeri. Et nos sanè in nostris variolis κακοηθείας & pestilitatis indicia in paucis observavimus.*

IX

An Variolæ rectè dicantur morbi pueriles?

Pueriles morbi dicuntur, qui pueros affligunt duobus primis septenariis: scil. à prima nativitate, usque ad annum ætatis decimumquartum, qui pubertatis statuitur principium. Suntque duplicis generis. Alii solis accidunt pueris, qui verè, propriè, & κατ᾽ ἐξοχὴν pueriles nominantur: ut dentitio, & quæ eam sequuntur symptomata: hæmorrhagia ex umbilico malè vincto: phlegmone ex resecto umbilico. Alii aliis quidem ætatibus etiam eveniunt: quia tamen pueros exercent frequentiùs, quàm alios, pueriles nuncupari solent. Cæterùm licèt isti reverà communes sint, certo tamen modo etiam proprii dici merentur: nimirùm non ratione naturæ & essentiæ, quæ in omnibus ætatibus est eadem: sed vel ratione causarum, quæ in pueris utplurimùm sunt peculiares: vel ratione victus, qui pueris, & illis maximè, qui in prima pueritiæ parte constituti sunt, & infantes dicuntur, est consuetus: vel ratione curationis: quoniam alia pharmaca delicata & tenella ætas postulat. Nam illa ferre nequit, quibus tractatur adulta.

Sunt ergò variolæ pueriles morbi, *non primo, sed secundo modo. Frequentissimè enim pueros invadunt: raro juvenes:*

nes: rarius viros: teste Avicenna & experientia. Imò puerulis adeò sunt infestæ, ut quidam illorum etiam in utero materno iis conspurcentur. Cujus rei exempla videantur apud Schenckium l.6. de morb epid. observat. 104. & 105. Augenium l.9. de febr. c.7. & Guil. Fabricium centur. 4. observ. cheirurg. 55. qui scribit, fœminã quandam in Lotharingia, cùm tempus partus ferè attigisset, unà cũ marito in variolas incidisse, & post mariti obitum peperisse infantem variolis contaminatum. Qua ex historia liquet, etiã provectioris ætatis homines variolis esse obnoxios. Nam Pater & Mater hujus infantis variolis, uti dictum, laborârunt. Pater quidem ex illis extinctus: Mater verò servata. Quod ipsum etiam alii præstantissimi Medici notant. Vidit Nicolaus Florentinus decrepitos senes variolis affectos, tract. 2. summ. 4. distinct. 6. cap. 13. Novit Gentilis sexagenarium variolis correptum. Talem quoque observavit Christophorus à Vega; virum etiam anno ætatis quadragesimo iisdem deformatum idem conspexit, l. 2. art. cur. s. 7. cap. 1. Augenius hoc ipsum de sene septuagenario refert: l. 9. febr. cap. 7. Campilongus ait, virginem 20. annorum variolis laborâsse: l. de var. cap. 18. Forestus notat l. 6. observat. 44. Anno 1563. adeò sæviisse variolas Delphis per totam æstatem, ut non solùm pueri natuque grandiores, verùm etiã senes aliqui, qui jam olim variolas & morbillos erant perpessi, in illas fuerint præcipitati. Schenckius l.6. observat. 105. scriptum reliquit, uxorem suam Anno 1569. propemodùm quadragenariam, non quidem variolis, sed morbillis solùm, mense graviditatis septimo, cum atrocissimis symptomatibus conflictatam esse, & tamen salvam unà cum fœtu evasisse. Novimus nos duas personas illustres, quarum altera anno ætatis quinquagesimo, altera in juventute, quæ virili ætati vicina, variolarum tyrannidem sensit.

Incidunt autem Avicennæ de sententia in variolas calida præcipuè humidaque corpora, quæ πληθωρικά: itemque & illa, quæ κακοχυμίᾳ onusta. Pueri verò omnium frequentissimè

vario-

variolis fœdantur: I. quia interna earum causa, de qua suo loco, in illis adhuc est recens, & forsan etiam copiosior. Nam calor nativus ætatis progressu multa consumit, II. quia corpus eorum est molle, rarum, laxum atque apertum, ut materia non facilè solùm ablegari ad cutem, sed etiam ab ea promptè excipi possit. III. quia vis expultrix in illis valida est atque robusta: cujus causa etiam aliæ eruptiones pueris sunt consuetæ: v. g. vomitiones, tusses, aurium humiditates, alvi profluvia, φύματα, sive exanthemata & ecthymata varia, quæ in cute, & maximè in faciei capitisque cute visuntur: sanguinis item ex naribus fluxiones: quemadmodum vacuationes hasce Hipp. *s.3. aphor. 24.25.26. & 27. recenset.*

X.

An variolæ sint morbi acuti?

Acuti morbi tria habent requisita. I. Brevitatem durationis. Celeriter enim tempora sua transeunt. II. Symptomatum vehementiam. Graviter namque affligunt: ut in febribus ardentibus, phrenitide, pleuritide, angina, peripeumonia, tetano, peste, febribus malignis, morbis acutis aliis videre licet. III. Vehementiæ perseverantiam & continuationem. Moventur ergò velociter, vehementer, & constanter, sive perseveranter.

Est tamen in acutis differentia magna, eaque secundum magis & minus considerata. Distinguuntur enim in acutos & peracutos. Rursùs peracuti *suos habent gradus. Nam qui tales, vel sunt peracuti simpliciter: vel perperacuti; qui peracutissimi, & extremè peracuti appellantur: quorum ultimus terminus statuitur dies quartus: ut pestis, & secundum* Hippocratem *aphor. 6. s.5. tetanus. Peracuti simpliciter intra 7. dies judicantur. Illorum ergò terminus est dies septimus: ut apoplexiæ, quia correptos* Hipp. aphor.51. s.6. *intra dies 7. interire asseverat, nisi febre corripiantur.*

Acuti *similiter aut tales sunt exquisitè, aut* ἐκ μεταπτώσεως, *ex de-*

ex decidentia. Illorum terminum statuit Hipp. *aphor.* 23. *s.* 2. *diem decimumquartum: quamvis & nonnulli eorũ, qui acutis* ἐκ μεταπτώσεως *viciniores sunt, diem vigesimum pro ultimo termino habeant. Hic enim tertiæ septimanæ septimus est, & propterea criticus. Horum terminus ultimus est dies quadragesimus. Nam qui diem istum excedunt, eos* Galenus *non amplius pro acutis, sed pro chronicis numerat: quoniam non, ut verè acuti, velociter, sed tardè moventur.*

His prælibatis, *dicimus, non omnes variolas unius ejusdemque conditionis esse. Reperiuntur enim ægri, qui vel non febricitant, quod tamen est rarissimum: vel leviter saltem. Observantur etiam, qui gravia symptomata minimè patiuntur. Accidit hoc materiæ causa: quæ in quantitate est pauca: in qualitate mitis atque benigna, citóq; ob corporis raritatem, & naturæ robur erumpit. Tales ergò variolæ in acutorum albo reponi nequeunt. Reponuntur autem in illo, qui* κακοηθείας *sunt participes: quæ cum acuta febri copulatæ: quæ adjuncta habent atrocia symptomata: v. g. convulsiones, deliria, petechias, anginam, dysenteriam, diarrhœam &c. Vidimus enim infantes atque pueros, qui secunda statim die fuerunt enecti. observatum etiam, quosdam d.* 7. 9. *aut* II. *Obiisse. Ideóque ejusmodi variolæ, cùm velociter moveantur, vehementer affligant, & in vehementia sua aliquandiu perseverent, meritò acutis morbis annumerantur.*

XI.

An variolæ critico motu à Natura expellantur?

Ajentem tuentur Avicenna *& Pragmatici, qui de variolis scripserunt, omnes. Crisis enim duplex est, bona & mala.*

In bona sequentia se offerunt requisita. I. morbus magnus & vehemens, *isque materialis, h.e. à noxiis ortus humoribus, qui naturam vehementer vrgent: ab illa tamen, utpote*

ſat robuſtis inſtructa viribus, expelluntur. Poſſunt autem expelli, ſi in ejuſmodi loco contineantur, ex quo facilè moveri, & ad alium ablegari queant. II. πεπασμὸς, materiæ morbificæ concoctio. Nam πεπασμοὶ πάντες πάντοθεν ἐπίκαιροι, coctiones ſemper opportunæ ſunt, ait Hipp. l.1. epid. ſ.2. Significant enim, inquit idem ibid. ταχύτητα τῆς κρίσιος καὶ ἀσφαλίην ὑγείην, celeritatem judicationis, ſecuramque ſanitatem. III. διάκρισις, ſecretio. Γίνεται γὰρ ἡ κρίσις, inquit Gal. comm. 2. aphor. 13. τῆς φύσιος διακρινούσης ἀπὸ χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ, καὶ παρασκευαζούσης πρὸς ἔκκρισιν, fit criſis natura ſecernente humores noxios à bonis, eoſque ad excretionem præparante. IV. ταραχὴ κριτικὴ, quam Hipp. aphor. 13. ſ.2. δυσφορίαν appellat, & κρίσιν præcedere ſcribit: Galenus autem etiam σάλον vocat: nihilque aliud eſſe dicit, quàm congeriem ſeu concurſum gravium quorundam ſymptomatum, quæ excretiones & abſceſſus criticos antecedunt: eorumque longum catalogum l.3. de criſib. c.2. & l. 1. de dieb. crit. c.1. recenſet. V. ἔκκρισις, excretio: ſub qua tamen etiam abſceſſum comprehendere poſſumus: quoniam in utraque κρίσεως ſpecie materia loco movetur. In ἐκκρίσει quidem planè extra corpus fertur: in abſceſſu verò in corpore quidem manet: ſed ad alium tamen locum tranſportatur. VI. εὐφορία, bona tolerantia, ſeu quies & tranquillitas, meliorque decumbentis conditio, quæ κρίσιν ſequitur: quoniam morbifica cauſa eſt extirpata. VII. Movens, quod eſt Natura, ſive vis expultrix: quæ miniſterio fibrarum, & caloris nativi materiam peccantem extrudit. VIII. Mobile: nimirùm humor morbificus, qui vel extra corpus ferri, vel ad locum alium, eumque ignobiliorem, derivari debet. IX. Terminus à quo, qui eſt locus, ubi cauſa morbum creans latet. X. Terminus ad quem, ſcil. illa pars, ad quam materia transfertur. XI. Viæ, ſive ſpatia, per quæ noxia materia movetur: ſuntque vel manifeſta, vel nobis occulta, naturæ autem probè nota. XII. Eventus: qui ſecundùm Hipp. l.1. epid. ſ.3. & Galen. comm.3. in prognoſt. §.1. eſt duplex in κρίσει ſalutari: 1. ἐπὶ σωτηρίαν, ad ſalutem, h. e. ſanitatem:

2. ἐπ' ἄμεινον, *ad statum meliorem.* *XIII.* Tempus, *quod est juxta* Galen. l.3. de crisi. c.1. *vigor, sive status morbi summus. Tunc enim materia est cocta: tuncque maxima naturæ cum morbo est lucta: sine qua κρίσις nulla fieri solet: teste* Galeno l 3. de cris. c.9. *In mala verò κρίσει morbus quidem adest magnus & vehemens, & præstò etiam sunt quædam alia, movens scil. mobile, viæ, termini utrique, & excretio: verùm* πεπασμὸς, & διάκρισις, & εὐφορία, *& legitimum excretionis tempus, & eventus bonus desiderantur. Nam quæ in hac excernuntur, cruda sunt, & cum massa humorum confusa, non separata: & excretio opportuno tempore non instituitur: sed vel in principio, vel in augmento, quibus temporibus cruda adhuc est materia peccans, excitatur, non ex naturæ intentione, sed vitio materiei, in quantitate, aut qualitate, aut utraque simul peccantis: quo fit, ut ægri nihil inde leventur: sed ut* Hippocrates *scribit loco antè allegato judicentur, vel* ἐπ' ὄλεθρον, *ad interitum: vel* ἐπὶ χεῖρον, *ad statum deteriorem: quia hac κρίσει non evacuantur* ὧν δεῖ, καὶ ὡς δεῖ, καὶ οἷα, καὶ ὅπη, καὶ ὅτε, καὶ ὅσον δεῖ, *quibus opus est, & velut opus est, & qualia, & qua parte, & quando, & quantum opus est, quemadmodum* Hipp. l. 6. epid. sect. 2. *loquitur.*

Dispiciamus jam, *an eruptioni variolarum salutarium (sic illas ratione eventus nominamus:) titulus motus critici conveniat? Convenire sanè videntur plurimæ conditiones. Nam & plerunque adest* morbus magnus, *isque* acutus: *& per ebullitionem sanguinis fit* διάκρισις, *mali scil. à bono separatio: & ea* κρίσεως *species hîc fieri videtur, quæ instituitur per* ἀπόθεσιν, *decubitum humorum ad certam aliquam partem, quam aliâs* ἀπόστημα, & ἀπόσκημμα *nuncupare solent Græci: & κρίσιν excipit* εὐφορία: *quia cùm variolæ eruperunt, utplurimùm febris & symptomata mitescunt: &* movens *hîc locum habet, natura sanguinem ad cutem propellens: &* mobile *cernitur, sanguis malus à bono segregatus: isque ad ignobilem partem, cutem, amandatus: &* terminus à quo *conceditur, qui ibi est, ubi peccans materia latet: suntque utplurimùm*

 venæ

venæ & arteriæ insigniores: & terminus ad quem *observatur, cutis, si variolæ sint bonæ: (in malis enim etiam interiora viscera inquinantur) &* viæ *se offerunt, per quas sequestrata materia deducitur ad cutem, vasa dicta: &* eventus *in bonis est bonus, salus nimirùm & incolumitas patientis. Quapropter videtur sequi, variolarum expulsionem rectè criticum motum ab* Avicenna *& recentioribus appellari.*

Arbitramur, *argumenta in medium allata non parvi esse momenti. Credimus tamen, esse hunc motum* κρίσει *potiùs* ἀνάλογον, *quàm* κρίσιν *in genuina & speciali significatione sumptam. Quæ forsan causa est, quòd* Avicenna *dixerit, variolas gigni* quodammodò *criticè: &* Augenius *asseverârit, hîc* κρίσεως *quendam modum esse particularem: l. 9. febr. c. 5. denique* Campilongus *statuerit, fieri variolas in modum* κρίσεως, *non per* κρίσιν*: l. de var. c. 12. Rationes, quæ nos movent, ut sic credamus, sunt seqq. I. quia omnem veram propriéque dictam* κρίσιν *præcedit* πεπασμὸς *materiæ morbificæ. Ante variolarum eruptionem haud videtur fieri* πεπασμὸς, *sed tantùm ebullitio quædam & effervescentia sanguinis, ut malus à bono segregetur. Quod ubi factum, & expulsio subsecuta, sanguis ebullire desinit. Eademque hîc ratio esse videtur, quæ in musto. Hoc enim in dolium infusum nunc citiùs, nunc tardiùs fervere incipit. Citiùs, quò est meracius: tardiùs, quò aquosius. At cùm fervet, non concoqui & maturari, sed suo quodam modo alterari dicitur, & heterogenea, ab homogeneis in eo secernuntur. II. quia specificè dicta* κρίσις *secundum* Galenum comm. 2. aphor. 13 *est* ὀξύῤῥοπος ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγίειαν, ἢ θάνατον, *subita & confertim facta mutatio in morbo ad salutē, aut ad mortem. At talis mutatio in variolis non fit, sed paulatim. Nam tertia quartave demùm die egrediuntur. Quodsi sanguis, calidior præsertim acriorq; subitò & cum impetu ad cutem ferretur, proculdubio rigorem excitaret: cujus causam* Galenus l. 2. de sympt. caus. c. 5. *esse docet materiam acrem & mordacem, ad sensibiles partes impetuosè motam. Verùm rigor nullus sentitur.*

XII. An

An necesse sit, ut omnes homines variolis corripiantur?

Averroïs *sententia est, nullum reperiri qui, variolis non infestetur.* Et Avenzoar *scribit, esse instar miraculi, si quis mortalium hac labe non inquinetur. Censemus, si certum esset & indubitatum, variolarum causas esse impuriores portiones menstrui sanguinis, quo fœtus in utero fuit sustentatus, quemadmodum plerorumque Authorum fert opinio, decisionem præsentis problematis haud difficilem esse. Verùm cùm hoc adhùc in dubio versetur, nil impræsentiarum concludi posse videtur. Supponemus tamen nunc, quod disput. 4. probaturi, impuritates illas partibus solidis impressas, & post conformationem in iisdem derelictas, ansam atque occasionem variolis præbere, & consequetur, omnes homines variolis obnoxios esse: cùm in omnibus causa illarum locum habeat. Omnes enim duo generationis suæ primordia agnoscunt: semen & sanguinem maternum: illud pro generatione partium solidarum, sive spermaticarum: hunc pro constitutione carnosarum, & utrarumque nutritione.*

Sed quæritur, *cur ergò non omnes homines in universum variolis affligantur? Respondetur, ex multis millibus perpaucos inveniri, qui illarum impetum effugiant. Si qui tamen ab iis immunes extiterunt, factum id esse videtur,* vel *quia præpropera mors illos sustulit è medio. Non enim omnes in infantia & pueritia variolis fœdantur: sed quidam etiam in ætate provectiore: quam tamen non omnes attingunt.* Vel *quoniam purissimo alti fuerunt sanguine, qui paucissimas post se in partibus solidis dereliquit impuritates: quas calor nativus facilè discutere atque absumere potuit.* Vel *denique quia impuritates illæ alia ratione sunt evacuatæ: v. g. per scabiem, impetiginem, vitiliginem, ulcera, alvi profluvia, sudores, & his similes inanitiones alias.*

iterum rogari potest, *cur quidam non semel tantum, sed secunda & tertia vice variolas patiantur? Respondetur, rarò quidem hoc fieri: si tamen fiat, causam esse, quoniam prima vice impuritas illa, in utero contracta, non fuit radicitùs evulsa: sed semina & fomites quidam in corpore remanserunt. Remanserunt autem, vel quia natura non sat habuit virium ad illos exhauriendos: vel quia fuit impedita: vel quia non tota materiæ derelictæ quantitas sequax fuit atque morigera, idq; ob crassitiem, viscositatem, aliamve qualitatem.*

Averrois dictum, *quòd nemo sit, qui variolis non tentetur, accipiendum est, ceu illud, quod* ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον *contingere solet. Quare, cùm ex multis millibus paucissimi sint, qui variolis non infestentur,* Averroës *omnes homines illis infestari asseveravit: perpendens maximam hominum partem: non spectans unum atque alterum individuum, quod universalem regulam destruere nequit.*

XIII.

An Variolæ etiam cadant in bruta?

Mercurialis *scribit l. de morb. puer. c.2. non defuisse, qui arbitrati sint, variolis etiam bruta laborare. Sed persuasum habet, humanam solùm speciem variolis conflictari:* Mercuriali *suffragatur* Augenius *l.9. febr. c.11. Adstipulatur quoque* αὐτοψία. *Hactenus enim observatum non est, quòd bruta variolis fuerint detenta. Ratio dari potest varia. Vel enim hoc contingit propter temperamenti siccitatem: vel propter vitæ labores, qui plurima superflua consumunt: vel propter victus temperantiam, præsertim in cibo & potu: vel propter superfluitatum* ἀπόθεσιν, *sive decubitum in urinas: unde turbatæ & crassæ apparent: vel propter conversionem superfluitatum in pilos, cornua, ungulas, squamas, cortices, pennas, corporis vastitatem in brutis grandioribus: vel propter crassitiem & densitatem cutis, quæ variolas non facilè transmittit: vel propter victus locique, in quo habitant, siccitatem: cujus ratione & minùs*

nius excrementis scatent: & quibus scatent, absorbentur. Unde Aristoteles *l.1. de gener. an. c.20. refert, bruta ob corporis siccitatem, & conversionem superfluorum in corpora recensita, etiam non ita menstruum fluxum pati, ac mulieres: sed parciùs & rariùs, ut Commentatoribus placet.*

XIV.

An in quibuslibet variolis dolor sentiatur?

Quando materia in quantitate est pauca: in qualitate frigida, aut remißiùs saltem calida: hæretque in parte, vel prorsùs insensili, vel sensili quidem, sed obtusiùs sentiente, dolor aut nullus est in variolis, aut saltem admodùm remissus. Cùm verò materiæ quantitas est copiosa: qualitas calida & acris: situs in parte exquisiti sensus, tùm dolor est intensior: præsertim eo tempore, quo variolæ incipiunt suppurari: juxta illud Hippocratis, *aphor. 47. s. 2. dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quàm confecto pure. Cur autem, dùm pus generatur, dolores sint intensiores, quàm pure facto, causa est, quia pars extenditur, & p.n. alteratur. Adest igitur continui solutio, tanquam causa doloris proxima: & intemperies calida, propter phlegmonem, tanquam causa remota & mediata. Sed quæ causa est, inquies, quòd dùm pus fit, pars extendatur, & continui quandam patiatur solutionem? Respondemus, causam esse, quia antequam pus fiat, sanguis, qui in pus vertendus, ebullit atque effervescit. In ebullitione autem à parte, in qua fit suppuratio, vapor exoritur putridus, qui partem distendit, quoniam exitum quærit: ex qua distensione, quæ species est continui solutionis, dolor nascitur. Pure facto, cessat ebullitio, & vapores putridi jam exhalârunt: quo fit, ut etiam continui solutio cesset, nimirùm distensio illa, & consequenter etiam dolor sopiatur. Diminuta quoque est materia à calore illo præternaturali. Ideóque minuitur tensio, & per consequens etiam dolor mitigatur.*

XV. An

XV.

An in omnibus Variolis pruritus adsit?

Pruritus, sive prurigo, κνησμὸς *græcè, affectus est superficiei, h. e. ipsius cutis: sic docente* Galeno *l. 2. de loc. aff. c. 7. Oritur, inquit* idem, *comm. 2. in l. 6. epid. §. 30. natura expurgante partes profundiores, & noxia propellente ad cutem. Habet enim in more positum, ait* idem ibid. *ut superfluitates tùm per alvum, tùm per cutem evacuet. Motus est facultatis expultricis: teste* eodem *l. 2. de caus. sympt. c. 6. Sæpè exulcerationem præcedit: ut videre licet apud* Galenum *l. 4. meth. med. c. 4. Sequitur tamen nonnunquam fracturas, & nisi illi occurratur, aliquando in exulcerationem desinit: sic monente* Galeno *comm. 1. in l. de fract. §. 41. Non rarò quoque vulnera & ulcera, imò & tumores p. n. comitatur, ut experientia monstrat. Causa vel acris est vapor modicéque mordens: authore* Galeno *comm. 1. in l. de fract. §. 41. Vel humor aliquis simili qualitate præditus: in genere excrementum prurituosum, quod nitrosum, salsum, vel amarum appellari potest: quod etiam sensum ulcerosum, lepram, scabiem, horrorem & rigorem excitare valet. Omnium enim horum affectuum causa est* κακοχυμία: *sed differunt inter se quantitate, qualitate, & motu: ita dictante* Galeno *l. 2. de caus. sympt. c. 6. Nam in pruritu, inquit, causa est pauca, tenuis, salsa, & immota. In lassitudine ulcerosa, pauca, tenuis, mordax, & immota. In lepra & scabie, multa, salsa, crassa, & immota. In horrore, pauca, tenuis, mordax & motum quendam obtinens exiguum. In rigore, copiosior, mordaciorque est, & vehementer movetur. Et in rigore quidem maximo, plurima, mordacissima, & vehementissimè mota. Eos autem potissimùm pruritus vexat, qui sordibus scatent, qui balnea negligunt, qui cruditatibus laborant, & qui pravo victu utuntur, cibis scil.* κακοχύμοις: *non aliam ob causam, nisi quòd excrementa in corpore provenerint salsa, acria, atque mordacia. Præ omnibus autem aliis pruritus infestat* ψώρα & λέπρα *laborantes. Causa, ait*

ait Galenus *loc. alleg. triplex est: I. quia humor pruritum excitans est copiosior, quàm in illis, qui sordibus abundant, & balnei usum intermiserunt. II. quia idem est crassior, adeóque cuti infixus, firmiterque impactus. III. quia nonnunquam lentus est & glutinosus: quo fit, ut nihil juventur, etiamsi scabendo sese excorient. Salsus quippe humor adhùc cuti manet infixus: ideóque pruritum movere minimè cessat.*

His obiter & παρέργως præmissis, ad problema propositum respondemus, *quòd in plerisque omnibus, qui variolis tenentur districti, pruriginosus affectus deprehendatur: tùm in principio, cùm materia adhùc est calidior, acrior & mordacior, tùm in declinatione, quando variolæ ad suppurationem jam pervenerunt, sed non in omnibus absolutè: quoniam materia variolarm eadem non est in omnibus. Differt enim caliditatis, tenuitatis & acredinis ratione, pro differentia ætatis, temperamenti, sexus, regionis, anni temporis, præcedentis victus rationis &c.*

Hippocrates *aphor. 9. sect. 6. pustulas, sub quibus etiam variolæ comprehenduntur, distinguit: & latas* ὀ πάνυ τι κνησμώδεας, *non admodùm pruriginosas esse scribit. Causam* Galenus *dat duplicem, ut etiam disputat. 2. problem. 15. significatum: Unam, quia in latitudinem extentæ difflantur: alteram, quia ex materia minùs calida & acri gignuntur. Potest & tertia adferri ratio majoris minorisque pruritus in pustulis istis: quoniam cutis, corporisque habitus universus & subjectæ carnes in aliis sunt densiores, strictiores, & compactiores: in aliis rariores & magis perviæ. Pruriginosæ igitur magis illæ sunt variolæ, quæ per habitum densum compactumque exire coguntur. Exeunt enim tardiùs & difficiliùs: ac proinde materia illarum sentientes partes magis vellicat & pungit, præsertim si fuerit calidior & mordacior. Minùs verò pruriginosæ illæ sunt, quarum materia est mitior, & ob habitus raritatem ac laxitatem citò faciléque transit.*

XVI.

An omnes Variolæ in ſuppurationem deſinant?

Æmylius Campilongus l. de variol. c. 6. ſcribit, variolas duobus modis terminari: vel per ἐκπύησιν, ſuppurationem vel per διαφόρησιν, & ἄδηλον διαπνοὴν, diſcuſsionem, & inſenſibilem tranſpirationem. Ait enim, variolas eſſe inflammatiunculas. At notorium, inflammationes alterutro horum modorum finiri. Nos, ut liberè dicamus, quod ſentimus, non obſervavimus hactenùs, variolas per διαφόρησιν fuiſſe ſolutas: ſed quotquot videre nobis contigit (contigit autem videre plurimas) vel diſparuiſſe, vel ſuppuratas eſſe: & aut verſas eſſe in pus bonum, aut in malum, aut, quod factum frequentiùs, in ichorem quendam purulentum, aut in utramque materiam ſimul, quæ partim purulenta & craſſa, partim verò ichoroſa, tenuis ſcil. atque aquoſa erat.

Vocamus autem cum Hippocrate ex prognoſt. pus bonum & laudabile, quod colore eſt albũ, conſiſtentia modicè craſſum, ſubſtantia æquale, odore quàm minimè fœtidum & graveolens. Appellamus malum, quod huic contrarium, moniti ejuſdem Hippocratis dogmate. Nuncupamus ichorem purulentum ſubſtantiam aquoſam, quæ conſiſtentia & colore ſero lactis ſimilis.

Diſparere autem & evaneſcere ſolent variolæ vel ſponte, vel à cauſa aliqua externa. Sponte retrocedunt multas ob cauſas. I. propter diarrhœam & dyſenteriam. Materia enim variolarum avertitur à via ordinaria, & transfertur ad inteſtina Cujus rei illuſtre habuimus exemplum præterita hyeme in quadam Virgine moniali: cui cum copioſè admodum variolæ proveniſſent, noctu ſuperveniente impetuoſo alvi profluvio evanuerunt penè omnes, maximè quæ erant in facie, ſolis ſuperſtitibus maculis, & quidem, (quod rarum) ſine vitæ jactura. II.

ra. II. propter ardorem & inflammationem internarum partium, quæ, ut Galenus *comm. 4. aphor. 48. & comm. 7. aphor. 1. docet, cucurbitulæ in modum sanguinem ad se trahit. III. propter naturæ infirmitatem: quæ quidem in principio, cùm adhùc valeret meliùs, materiam expellebat ad cutem: sed virulentia materiæ oppressa & debilitata, cœptum opus continuare non potuit.*

Retrocedunt verò ab externa aliqua causa, materia earum vel per venæ sectionem, purgationem, & clysteres à tramite suo avocata: vel per usum topicorum refrigerantium repercussa: vel per adstringentia interna impedita, vasis, per quæ decurrebat, coarctatis atque constrictis: vel per frigiditatem aëris, quo in laborans degit, exire prohibita, poris cutis condensatis.

Morbillorum *alia ratio est. Hos enim digeri atque discuti à calore concedimus: quoniam materia eorum neque tàm copiosa est, ut variolarum: neque adeò crassa: sed subtilis & & præcalida, sanguinique bilioso planè similis.*

Quòdsi objiciatur, αὐτοψίαν tamen docere, non omnes suppurari variolas, cùm non ex omnibus pus emanare videamus: Respondetur, inde non inferri, materiam variolarum in halitus verti, & ἀδήλως totaliter evaporare. Quòd enim non ex omnibus pus fluat, in causa est, quia non omnes rumpuntur sponte, nec aperiuntur arte. Ideóq; tenuior duntaxat materiæ portio exhalat, quæ serosa & aquosa: crassior autem, quæ terrena magis, exiccatur, & in crustas vertitur, quæ posteà tamen decidunt.

XVII.

Quot sint variolarum tempora?

Variolæ, quæ ratione eventus salutares dicuntur, tempora habēt plura: pauciora, quæ lethales, sicut & aliæ ægritudines. Loquamur nunc de salutaribus: quarum tempora alij aliter numerant. Legitima videtur illa enumeratio, quando universalia variolarum tempora statuuntur duo: unum ebullitionis

& effervescentiæ massæ sanguineæ: alterum eruptionis variolarum.

Tempus ebullitionis *habet suum principium, augmentum, vigorẽ, & declinationem. Principium illius est dies prima. Augmentum dies secunda. Vigor dies tertia. Declinatio dies quarta. Hac enim utplurimum & febris, & symptomata remitti solent.*

Tempus eruptionis *similiter quatuor partes habet: principium, augmentum, vigorem & declinationem. Principium est dies quarta. Nam quod tempus est declinatio ebullitionis, id esse principium consuevit eruptionis. Hac die maculæ quædam apparent, pulicum morsibus non absimiles. Augmentum extenditur usque ad diem octavam, vel nonam. In dies enim magis magisque augentur. Vigor protrahitur usque ad diem undecimam. Nam quando ad justam perfectamque pervenerunt magnitudinem, suppurari incipiunt: quæ maturatio fit in statu, sive vigore, diebus nono, decimo, & undecimo. Declinatio incipit die undecimo, duratque reliquis morbi diebus, quibus variolæ partim exiccantur, & in crustas vertuntur: quæ tandem unà cum squamulis, excoriatis cuticulæ portionibus, decidunt, morbusque finitur: id quod tribus septimanis ferè fieri solet.* Observandum verò hîc est; *variolas in aliis erumpere citiùs, in aliis tardiùs & proin etiam tempora earum variare. Nam in quibus natura est valida, habitus corporis laxus, mollis & rarus, materia tenuis atque subtilis, viæ, per quas evacuanda, liberæ atque expeditæ, in iis variolæ erumpunt celeriùs: præsertim si natura in expulsione à Medico juvetur: & æger in calido aëre decumbat, seseque benè tegat. Tardiùs contrà in iis, quorum natura est debilis, corpus densum, materia crassa, viæ præpeditæ & obstructæ, & quorum natura neque juvatur arte, neque corpus à frigore munitur.*

Morbilli *celeriùs tempora sua transeunt, quàm variolæ: habentque similiter duo universalia tempora, ebullitionis & eruptionis. Ebullitio durat dies circiter 3. aut 4. Eruptio fit*

diebus

diebus reliquis, uſque ad diem ſeptimum, qui fere ultimus mo-billorum eſt terminus. Eo enim evaneſcere ſolent. Varietas tamen in iis, non ſecus ac in variolis, pro varietate naturæ, materiæ, habitus corporis, viarum, & regiminis deprehenditur.

XVIII.

Quid nomine ſanguinis ebullientis in Variolis intelligatur?

Dictum jam aliquoties, ſanguinem ante eruptionem variolarum & morbillorum efferveſcere & ebullire: ideóque haud immeritò quæritur, quid nomine ebullientis ſanguinis veniat? Reſpondemus, inaudiendam eſſe non unam aliquam partem ſanguineæ maſſæ, vel temperatam, vel intemperatam: ſed maſſam totam. Impoßibile enim eſt, ut una tantùm pars efferveſcat, non efferveſcente alia. Tota namque maſſa in uno eodemq; loco continetur, eſtque una ebullitionis cauſa, calor. Nam ſi vinum & aqua ſint permiſta in una eademque olla, & calor ignis illa ebullire faciat, certè neque ſolum vinum, neque ſola aqua ebullit, ſed liquor totus, qui ex aqua & vino eſt conflatus.

Quodſi objiciatur, *tamen in febribus continuis putridis hanc eſſe rationem, ut modò portio maſſæ ſanguineæ melancholica, modò phlegmatica, modò bilioſa putreſcat. Cur ergò non poſſet etiam pars duntaxat aliqua ſanguineæ maſſæ ebullire? Reſpondemus, non eandem putredinis & ebullitionis eſſe rationem. Nam omnes ſanguineæ maſſæ partes habiles ſunt, ut bulliant: non omnes, ut putredinem ſtatim concipiant: ſed illa putreſcit, quæ in putredinem prona: præſervatur verò, quæ ſana & à putredine longiùs dißita. In* συνόχῳ *non putri tota maſſa ſanguinis fervet: ſed non putret. In putri verò & fervet, & putret. In* καύσῳ *putrida eſt portio ſanguinis bilioſa: in continua quotidiana phlegmatica: in continua quartana melancholica. At hæ partes hiſce in febribus bullire & efferveſcere propriè non dicuntur quoniam nõ ſtatim impuri à puro fit ſecretio, quæ ebullitionis finis eſt.*

XIX.

Quo in loco ſanguis ebullire dicatur in Variolis & Morbillis?

Quando variolæ & morbilli totum corpus occupant, ſanguis ebullire toto in corpore creditur, omnibuſque illius venis: præcipuè tamen in majoribus, quales illæ ſunt, quæ inter alas & inguina excurrunt. Hinc dolor ſæpiùs percipitur in dorſo, cui impoſiti trunci venæ cavæ & aortæ deſcendentes. Hi namque in ebullitione ſanguinis vehementer diſtenduntur, tùm à ſanguine copioſo, tùm ab halitibus ex ſanguine à calore febrili exuſcitatis. Diſtenti partes ſibi contiguas divellunt: ex qua divulſione & diſtenſione naſcitur λύσις τῆς συνεχείας, *quæ doloris in dorſo cauſa eſt.*

XX.

Quotuplex hæc ſit ebullitio?

Duplicem illam artis proceres faciunt: unam perfectivam, ſeparativam, rectificativam, *ſive* depurativam, *qua ſanguis ab impuritatibus repurgatur: ſeu qua totum illud, quod ex ſuccis alimentariis eſt conflatum, efferveſcit, & impuriores illius partes à puris & utilibus ſegregantur, ut ſanguis purus relinquatur. Hanc ajunt fieri à natura, cùm critico motu ſanguinis impuritates à centro ad circumferntiam expellit: & vel perfectè, ac tùm variolæ non ampliùs redeunt: vel imperfectè, & tunc eſt recidivæ metus. Alteram* corruptivam, & permiſtivam, *acceptam referendam febri & cauſis morbificis: qua etiam puræ ſanguinis partes labem contrahunt atque putreſcunt. Eſt hæc diſtinctio* Avicennæ, *l.4. Can. fen.1. tr.4. c.6. poteſtque vini declarari exemplo: qua declaratione etiam* Avicenna *utitur. Nam poſtquam ſuccus uvarum eſt expreſſus, paulò pòſt efferveſcit & ebullit, (noſtrates* jhären *vocant) & quidem ebullitione perfectiva, ſive depurativa, cujus cauſa eſt muſti calor in-*

lor innatus. Is enim per hanc ebullitionem partes vitiosas atque inutiles vini separat à bonis: sicque vinum defæcatur, & fit purius atque salubrius: citiùs quidem, quò calor musti est fortior: tardiùs autem, quò is est debilior & remissior. Ebullit autem vinum etiam ebullitione corruptiva, quando transit in acetum. Hoc enim vinum mortuum, & vini cadaver à quibusdam nominatur: quemadmodum Galenus *l. 1. simpl c. 18. refert. Amittit enim vinum formam suam per corruptionem, & acquirit secundùm partes subtiliores acrimoniam: secundùm crassiores saporem acidum: vertiturque in acetum: quod à prædominio est acidum & frigidum: à subdominio acre, mordax & calidum. Ex albo namque illorum est simplicium, quæ* Galenus *l. 5. simpl. c. 1.* ἀνομοιομερῆ καὶ σύνθετα *appellat, quòd partibus & facultatibus dissimilibus constent: licèt ea ratione rectè simplicia dicantur, quoniam cujusmodi sunt, talia natura sunt, nec quicquam arte atq; industria nostra assumserunt.*

XXI.

Ex quo genere febrium sit illa, quæ in Variolis & Morbillis animadvertitur?

Avicenna *febrim illam vocat conclusam, l. 4. Can. fen. 1. tr. 4. c. 6.* Avenzoar *impetuosam: recentiores* σύνοχον: *& quidam modò putridam, modò putredinis expertem.*

Quòd autem sit σύνοχος, *exinde patet: I. quia fit ex effervescentia sanguinis: II. quia continua est: III. quia* ὁμότονος *est. Brevi enim ad vigorem pervenit, & in illo ferè usque ad finem perseverat: IV. quia omne corpus, maximéque facies est incensa, & rubet: V quia illa adsunt signa, quæ etiam in* συνόχῳ *adesse solent: respiratio difficilis, pulsus magnus, plenus, frequens & velox, calor udus, nō siccus, non acer & mordax, tensiva lassitudo, jactatio magna, capitis dolor vehemens, somnus interdum profundus, urinæ nullas habent putredinis notas.*

Habent

Habent autem, si σύνοχος sit putrida. Calor præterea in ea tactum ferit acrius, pulsus magnus quidem est, vehemens, creber & celer, verùm inæqualis & inordinatus. Sentitur denique in hisce variolis, cùm maturuerunt, fœtor insignis, qui putredinis soboles.

Verùm & maligna quandoque sanguinis est corruptio, febrisque maligna, quæ plurimos necat. Cognoscitur ex virium omnium prostratione, vomitione, pulsu parvo, languido, inæquali, cordis palpitatione, colore variolarum livido, plumbeo, nigro, petechiis nigris variolis insidentibus, diarrhœa, dysenteria, mictione cruenta, extremorum frigiditate, convulsionibus, subita, & sine manifesta causa variolarum disparentia, &c.

Est ergò febris variolarum vel σύνοχος simplex, omni putredine carens: vel σύνοχος putrida: vel putrida simul atque maligna.

Et est febris morbillorum intensior atque vehementior quàm variolarum. Morbilli enim ex sanguine bilioso. variolæ ex sanguine magis temperato generantur.

XXII.

An Variolis & Morbillis semper adjuncta sit febris?

De hac quæstione discrepantes Authorum sunt sententiæ.

Negantem *tenet* Campilongus *l. de var. & morbill. c. 6. carpitq; illos, qui febrim in definitione variolarum ponunt, eamque inter signa illarum διαγνωστικὰ connumerant: cùm tamen febris quibusdam solùm variolis semper adstet: aliquibus interdum: nonnullis nunquam. Rarũ tamen esse asserit, variolas febris esse expertes. Fieri tamen posse, ut illa careant: idq; exinde probat: quoniam ait, ad producendas variolas requiri, ut effervescens sanguis ad cutem confluat: ad febrim verò, ut sanguinis effervescentis calor, halitusve inde exuscitati ferventes cordi communicentur. Iam si sanguis ebulliat leviter, & quidem*

dem

dem propè cutem, inquit, calorem ejus non necessariò ad cor deferri. Esse igitur laborantem à febri immunem. Potest sententia Campilongi *stabiliri experientia. Nam* Forestus *notat.* l. 6. observat. 50. *gravidam quandam mense prægnationis quinto in variolas valdè aquosas incidisse: neque tamen, quod mirum, febricitâsse. Subdit autem, eandem demùm die variolarum septima febri correptam esse.* Schenckius l.6. observat.112. de morb. epidem. *ait, quod* Rhasis cap. 18. Continentis *se vidisse testatur, id se in filiolo suo paulò supra bimatum constituto animadvertisse. Nam variolas illi in facie & ventre circa Autumnum* sine omni febri, *& sine aliis malignis symptomatibus erupisse: paucas quidem illas, sed colore albas, nulloque alio, præterquàm aqueo & pellucido humore conspicuas: quarum pleraque citra suppurationem disparuerint: majores verò suppuratæ excreverint in crustas, & difficilem posteà tardamque sanationem, carbunculorum instar, consecutæ sint.* Nos quoque præteritis temporibus *pueros quosdam variolis conflictatos vidimus, qui neque de calore febrili, neque de alio aliquo graviore symptomate fuerunt conquesti: quin imò & lusisse, & risisse, & comedisse, ac bibisse benè, placidè quoque dormivisse, bonoque fuisse animo, ac si nil sinistri iis contigisset.* Hùc accedit *& illud, quòd* Avicenna l.4. Can. fen.1. tr. 4. cap. 6. *monet, melius esse, ut febris præcedat, sequantur variolæ, quàm ut variolæ antecedant, & febris subsequatur. Itaque, si fieri potest, ut variolæ præcedant & præexistant, posteà demùm febris accedat, fieri quoque potest, ut variolæ aliquandiu homini sine febri insint.*

Contrà affirmantem tuetur Mercurialis l.1. de morb. pueror. c. 2. *& febrim perpetuò variolas vel antecedere, vel comitari asseverat.* Mercuriali *subscribunt* Hucherus *l.4. febr. c.28.* Vidius *l.6. febr. c 6.* Anton. Portus *l.4. de var. c.3.* Augenius *l.9. de febr. c.3.* Liddelius *l.3. febr. c.8.* & Sennertus *l.4. febr. c.10.*

Arbitramur, *ut quæstio rectè decidatur, quadruplici opus*

 esse

esse distinctione: variolarum, quantitatis, *&* qualitatis materiei, *ex qua variolæ gignuntur, denique* febris, & ebullitionis. *Nam si* variolæ *sint veræ, tales scil. quales in plerisque cernimus, existimamus, febrim semper adesse: quia semper fit ebullitio sanguinis, quæ nunquam fit sine calore præternaturali. At is semper cordi communicatur, cùm materia effervescens in vasis majoribus, quæ cordi vicina sunt, contineatur. Sin analogicæ duntaxat sint variolæ, quales sunt illæ, quas nonnulli Authores* κρυσταλλοειδεῖς, *crystalliformes, nostrates* die Wasserbärblen *nominant, febris necessariò non adest: si maximè hæ quoque critico modo expelli dicantur. Nam neque omnes* κρίσεις *in febribus tantùm continuis & acutis contingunt: neque omnis excretio per modum ebullitionis fieri solet. Prius probatur: quoniam etiam in affectibus chronicis, & febribus intermittentibus, quæ acutæ non sunt,* κρίσεις *accidunt. Acutæ quidem & continuæ frequenter judicantur per modum* ἐκκρίσεως, *si natura non impediatur: chronici verò affectus plerunque per modum* λύσεως *finiuntur: aliquando tamen etiam per illam* κρίσεως *speciem, quæ* ἀπόσκηψις appellatur: *raro per* ἔκκρισιν: *& si maximè hac* κρίσεως *specie judicentur, judicari tamen solent sine vehementia, & utplurimùm pluribus diebus: teste* Galeno *comm. 2. in prognost. §. 34. l. 1. de dieb. decret. c. 10. & l. 2. ejusdem operis c. 5. Posterius hunc in modum planum fieri potest: quia neque sanitatis, neque ægritudinis tempore omnis excretio per ebullitionem & effervescentiam evenit. Non tempore sanitatis: quia tùm ebullitioni nullus est locus. Hæc enim præter naturam est, & sine febri non fit. Neque tempore ægritudinis: quoniam experientia testatur, plurimas fieri evacuationes per naturæ consueta emissaria, v. g. per spiracula cutis, alvum, ductus urinæ, uterũ, os, venas hæmorrhoidales &c. sine ulla ebullitione: sed à sola facultate expultrice, vel à nimia humorum copia gravata, vel à vitiosa earum qualitate lacessita, vel ab utraque irritata. Quodsi ebullitio aliqua subesset, etiam* φλόγωσις *adesset: quæ tamen non in omni excretione, ne-*

que

que ante, neque in, neque post excretionis actum ab ægris sentitur.

Materiam variolarum *quod attinet, est illa vel in quantitate copiosa, & in qualitate calida admodùm, itemque putrida, aut maligna: vel modo contrario se habet. Præsente priori, febris semper in variolis conceditur. Posteriori se offerente, febris quidem adesse potest, sed adeò lenta & exigua, ut adesse minimè percipiatur.*

Ebullitio *si sit vehemens, & expulsio fortis ac valida, evidens quoque urgensque febris esse solet. Sin ebullitio sit levis, materia pauca, excretio languida, febris vix observatur: & sic quandoque dicitur, febrim nullam adesse, scil. sensibilem, & effatu dignam.*

XXIII.

Sitné febris Variolarum essentialis, sive primaria, an consequens & secundaria?

Symptomatica febris illa dicitur, quæ ad alterius morbi positionem & ablationem ponitur atque aufferτur. Item, quæ augescente & decrescente morbo alio, augetur & minuitur. Tales sunt febres illæ, quæ viscerum inflammationes, erysipelata, & corruptelas sequuntur. Primaria vocatur, quæ proprias habet causas, neque ad alterius alicujus morbi positionem, ablationem, augmentationem, & diminutionem ponitur, auffertur, augetur, aut minuitur: ut sunt synochus putrida & putredinis expers, καῦσος, febres continuæ tertianæ, quartanæ, quotidianæ, itemq; intermittentes simplices atque compositæ.

His præmissis, quæstio deciditur sequentibus conclusionibus. 1. Febris, quæ variolas præcedit (est autem semper vel putrida, vel non putrida σύνοχος) symptomatica nequaquam est, sed primaria & essentialis: quoniam ad positionem variolarum non ponitur: nec variolis auctis, aut diminutis, augetur, vel mi-

 nuitur:

nuitur: sed subsistit primùm absque variolis: iisque tandem erumpentibus, mitior evadit: quoniam illius materia ejicitur, & vertitur in pustulas cutis. *Quo nomine* Avicenna *dicebat l.4. can. fæn.1.tr.4.c.6. melius esse præcedere febrim, sequi variolas: quàm anteire variolas, sequi febrim.*

II. Febris, quæ à principio usque ad finem externis assidet variolis, itidem primaria est: habetq; materiam copiosam, quæ non tota in variolas mutari potuit. Unde perseverat.

III. Febris, quæ variolas retrocedentes, & interiora petentes sequitur, symptomatica est: quoniam pro variolarum earum ratione augetur & minuitur, sequiturque variolas, quæ parvæ sunt inflammationes, non secus ac illa, quæ internarum partium phlegmonem insequi consuevit.

IV. Febris, quæ comitatur exulcerationem pulmonum, intestinorum, renum, aliarumve partium, factam à variolis, cùm ad suppurationem pervenerunt, similiter symptomatica est, non aliter, atque illa, quæ partium interiorum labefactationem secuta.

XXIV.
Quid sint Variolæ?

Variolæ omnes uno eodemque modo definiri non possunt: quia non omnes unius ejusdemque prorsùs sunt naturæ. Non enim omnes morbi sunt: sed quædam etiam causæ: quædam symptomata. Neque omnes epidemii, maligni, & pestilentes sunt affectus: sed quædam affectus privati & benigni. Possent tamen hunc in modum definiri. Variolæ sunt pustulæ calidæ & humidæ, ex ebulliente in vasis sanguine, qui inde à facultate expultrice, veluti per κρίσεως *quendam motũ ad cutem protrusus est, genitæ, ut sanguis malus à bono segregetur.*

In hac definitione, seu, si malueris, descriptione, & materia generalis, & forma, & efficiens, & modus generationis, & subjectum, cui variolæ plerunque inhærent, & finis continetur.

Materia

Materia *sanguis est, isque effervescens.* Subjectum *cutis: non exclusis partibus internis, quæ tamen à variolis occupantur rariùs: ideò subjecti frequentioris & communioris tantùm sit mentio.* Forma consistit *in pustulis calidis & humidis.* Modus generationis *in eo positus videtur, quòd sanguis primùm ebulliat: posteà facta ebullitione malus à bono segregetur, & in cutem transferatur, in qua pustularum formam acquirit.*

Efficiens *est Natura, seu facultas expultrix, quæ à materiæ quantitate & qualitate stimulata insurgit, & quasi quodam critico motu eam forâs expellit.* Finis, *ut sanguis depuretur, & quod noxium est, excernatur.*

XXV.

Quid sint Morbilli?

Morbillos accipimus secundum communem loquendi consuetudinem. Tres enim illorum significationes apud practicos reperimus. Fuchsius, *ut dictum disputat.* I. *quæst.* 9. *morbillos pro variolis nostris habet: & has pro illis.* Nonnulli *per morbillos inaudiunt pustulas parvas, acutas & fervidas admodùm. Plerique tantùm maculas illas rubras, sive purpureas, quæ nō extuberant, per morbillos intelligunt: quorū sentētiam sequimur.*

Hac ergò in postrema significatione definiri queunt maculæ rubræ, ex tenui ferventique sanguine in vasis ebulliente, qui à virtute expultrice ad cutem criticè motus est, in cute genitæ, ut noxius sanguis à bono & utili separetur.

Exprimitur hac in definitione I. Forma, *quòd morbilli sint maculæ rubræ. Loquimur enim de salutaribus, quæ frequentiores. Nam quæ colore sunt violaceo, plumbeo, nigro, malignæ sunt atque lethales, & prioribus rariores. II.* Materia, *sanguis tenuis, & fervidus, qui biliosus. III.* Efficiens, *vis expultrix. IV.* Finis, *defæcatio sanguinis. V.* Subjectum, *cutis. VI.* Modus generationis, *qui fit, cùm sanguis fervet, & κριτικῶς vitiosa illius portio à Natura excernitur.*

XXVI.

Unde petantur Variolarum differentiæ?

A variis rebus. 1. *à materia.* 2. *à forma.* 3. *à qualitate causæ.* 4. *à quantitate continua.* 5. *à loco.* 6. *à duratione.* 7. *à figura.* 8. *à colore.* 9. *ab eventu.* 10. *ab adjunctis.* 11. *à modo invadendi.*

Ratione materiæ *dicuntur ſanguineæ, bilioſæ, phlegmaticæ, & melancholicæ.*

Ratione formæ, *veræ, ſive legitimæ, & analogicæ, quæ* κρυσταλλοειδεῖς, Wasserbarblen *appellantur.*

Ratione qualitatis cauſæ, *benignæ & malignæ.*

Ratione quantitatis continuæ, *magnæ, parvæ, mediocres.*

Ratione quantitatis diſcretæ, *multæ, paucæ.*

Ratione loci, *ſive* ſubjecti, *cui inſunt, externæ & internæ: ex quibus illæ quidem vel totam cutem occupant, vel bonam illius partem: hæ ſimiliter aut omnia interiora inhabitant, aut partes plurimas, v.g. fauces, guttur, pulmones, hepar, lienem, renes, inteſtina &c.*

Ratione durationis, *quædam durant diutiùs, quædam breviùs. Item, aliæ perſeverant, manentque foris: aliæ remeant & retrocedunt cum pernicie ægri.*

Ratione eruptionis, accretionis & ſuppurationis, *quædam erumpunt, augentur & ſuppurantur velociter: nonnullæ tardiùs.*

Ratione figuræ, *latæ ſunt & acuminatæ, ſeu faſtigiatæ.*

Ratione coloris, *ſunt albæ, rubræ, virides, lividæ, nigræ, quæ peſſimæ: optimæ, quæ ſuprà albicant, in baſi rubent.*

Ratione eventus, *ſalutares & lethales: quarum illæ tendunt ad vitam: hæ ad mortem.*

Ratione adjunctorum, *quædam cum gravibus ſymptomatibus hominem affligunt: v. g. deliriis, vigiliis, convulſionibus, dyſpnœa, vomitionibus, virium defectu, diarrhœa, dyſenteria &c. quædam leniter hominem tractant.*

Ratione

Ratione modi invadendi, *sunt epidemiæ, quæ plures una in urbe, unave in regione, uno eodemq; tempore aggrediuntur: & σποραδικαὶ, quæ privatim hunc vel illum corripiunt.*

XXVII.

Quomodo Variolæ & Morbilli inter se conveniant & differant?

Conveniunt inter se variis modis. I. genere remoto: *quoniam ambo affectus comprehenduntur sub efflorescentiis, eruptionibus, germinationibus &c.*

II. Materia, *quia ambo generantur ex sanguine.*

III. Causa efficiente, *quæ est Natura, seu facultas expultrix.*

IV. Modo generationis, *qui est criticus, præcedente ebullitione sanguinis.*

V. Qualitate causæ, *quæ vel est mitis & benigna: vel ferox & maligna.*

VI. Adjuncto, *quoniam iis ferè semper febris est associata.*

VII. Subjecto, *quoniam affectus sunt cutis, & quidem universales.*

VIII. Modo invadendi, *quoniam vel sunt affectus expidemij, vel σποραδικοὶ.*

IX. Tempore eruptionis, *quod est utplurimùm dies tertius, vel quartus.*

X. Ætate, *in quam frequenter ambo cadunt, & est infantilis & puerilis.*

X Tempore anni, *quo communiter grassantur: quod est Ver & Autumnus.*

XII. Constitutione temporis, *qua sunt frequentiores, & est κατάστασις austrina, si diutiùs perseverârit.*

XIII. Signis, *quæ, antequam erumpant, eadem penè esse solent.*

XIV. Curan.

XIV. Curandi modo, *qui in principio, antequam exeant, penè idem est.*

Differunt autem rursùs in plurimis.

I. Genere proximo. *Nam variolæ sunt pustulæ: morbilli maculæ rubræ. Illæ enim elevantur, & attolluntur sensibiliter & evidenter: hi nequaquam: sed tantùm cutem reddunt asperiusculam. Si elevantur, elevatio certè effatu digna non est: teste* Avicenna *l.4. can. fen.1. tr.4. c.8. idque propter humoris, ex quo fiunt, subtilitatem. Unde* Mercurialis *ait l. 1. de morb. puer. c. 2. in morbillis vix apparere cutis elevationem: ita ut nisi manibus tractentur, diiudicari nequeant.*

II. Materia: *quia variolarum materia sanguis est crassior & frigidior: morbillorum tenuior, calidior, siccior & acrior. Unde variolæ similes dicuntur inflammationibus: morbilli erysipelatibus. Variolæ namque tument, rubent, calent, dolent, duræ sunt initiò, & quando ad tempus suppurationis accedunt, cum molesta pulsatione conjunctæ sunt, instar inflammationum, Morbilli verò, uti dictum, ceu erysipelata, ex sanguine gignuntur bilioso, miniméque elevantur.*

III. Tempore eruptionis. *Variolæ exeunt tardiùs, ob materiæ crassitiem. Morbilli temporiùs, ob ejusdem tenuitatem, & acrimoniam, quæ expultricem magis irritat. Erumpunt quidem ambo affectus die tertia, vel quarta, ut anteà dictum: sed morbilli sub specie propria: variolæ sub aliena. Morbilli enim maculæ sunt, & sub specie macularum in conspectum veniunt: Variolæ autem pustulæ sunt: sed sub forma pustularum minimè exeunt. Priùs enim maculæ visuntur sanguineæ: postea pustulæ: quæ tamen initiò vix granorum milij magnitudinem æquant. At augentur indies, donec justam pustularum quantitatem acquisierint.*

IV. Tempore durationis. *Variolæ durant diutiùs: quoniam materia earum suppuratur, siccatur, & in crustas vertitur. Morbilli insensibiliter digeruntur, non suppurant. Variolæ tribus, quatuorve septenariis perseverant: morbilli*

primo

primo ferè disparent. Illæ interdum indelibilia post se vestigia relinquunt: hi nulla prorsùs: sed plerunque primo septenario evanescunt.

V. Gradu ebullitionis *materiæ, ex qua nascuntur. Est quippe ebullitio ante eruptionem morbillorum vehementior & intensior, propter materiæ caliditatem: ante exitum v. variolarum remißior: quia materia, illarum, ut significatum, frigidior est.*

VI. Acumine. *Acutiores affectus videntur morbilli quàm variolæ.* 1. *quia breviùs durant.* 2. *quia ob fervorem & subtilitatem materiei vehementiùs urgent. Activior quippe est sanguis biliosus sanguine craßiore & remißiùs calido. Hinc ante morbillorum egressum decumbentes acutè febricitant, vehementer ardent, inquieti sunt valdè, sitiunt magnoperè, convulsionibus non raro tentantur, pruritus narium, faciei, aliarumque partium est major, quam in variolis. Scribit quoque* Avicenna *l. cit. c.* 8. *lachrymas per morbillos effluere largiores, & esse spirandi difficultatem majorem quàm per variolas. Minùs tamen affligere oculos: minùs etiam dolere dorsum: & propter paucitatem, & propter tenuitatem materiæ, quæ vasa dorsalia minùs implet, minusque distendit, atque à contiguis partibus divellit.*

Est tamen hîc *comparatio instituenda in ima specie, & sunt variolæ veræ, non nothæ & spuriæ, quales sunt* κρυσταλλοειδεῖς, *copiosæ item, quæ totum corpus occupant, cum morbillis veris genuinis & universalibus, malignæ cum malignis, benignæ cum benignis & mitibus conferendæ.*

XXVIII.

Quomodo Variolæ differant à pustulis & tuberculis aliis?

Quomodo variolæ differant à varis, monstratum quæstione 3. disputationis primæ. Hîc rogatur, quid discriminis

sit inter variolas, phlyctænas, epinyctidas, psydracia, ephelidas, terebinthos, furunculos, hidroa, herpetem miliarem, & pustulas scabiosorum? Respondemus, discordare tubercula & pustulas istas in rebus plurimis: nimirùm materia, forma, sede affecta, modo generationis, effectis & symptomatibus, magnitudine, colore, more, ætatibus, quas invadunt, vicibus, quibus redeunt, adjunctis, quibus sunt stipatæ, curandi modo. Nam variolæ *materiam habent in prima conformatione partibus impressam, ut disput. quarta probabimus. Reliquæ pustulæ nascuntur ex materia non* συγγενεῖ, *congenita, sed* ὑστερογενεῖ, *postgenita, sanguinea scil. biliosa, pituitosa, melancholica, serosa, mixta.* Variolæ *formam varorum repræsentant: reliquæ pustulæ nequaquam.* Variolæ *utplurimùm universam cutem occupant: aliquando etiam partes interiores. At tubercula & pustulæ universales recensitæ non sunt ita, si scabiosas exceperis.* Variolæ *generantur præcedente sanguinis effervescentia, & natura materiam noxiam critico motu ad cutem propellente. Ejusmodi effervescentia præcedens generationem aliarum pustularum non fit: tametsi haud inficiemur, eas à natura profundum corporis expurgante in cute generari.* Variolæ *& ante, & post eruptionem varia & gravia inducunt symptomata, ut patebit ex disputatione quinta, ubi signa earum declarabimus. At symptomata illa in cæteris tuberculis & pustulis, vel non omnia, vel non ita urgentia animadvertuntur.* Variolæ *magnitudine superare reliquas efflorescentias & eruptiones dicuntur, sive propriam affectus essentiam, siue* τὸ ἦθος *illius, quòd sæpè pestilens est atque malignum, contagiosum semper, sive sedem, in qua causa earum latet, & ante eruptionem ebullit, sive effectus contemplêre.* Variolæ *bonæ & salutares suprà quidem in cacumine albicant, infrà verò in basi rubent. Sed si sint malignæ, colore variant, & violaceæ, plumbeæ, virides, vel nigræ conspiciuntur: quæ varietas in cæteris germinationibus minimè deprehenditur.* Variolæ *infantili & puerili*

maximè

maximè ætati infestæ sunt: ætates provectiores invadunt rariùs: & quos homines afflixerunt semel, posthàc nunquam affligunt, dummodò causa earum perfectè & radicitùs fuerit extirpata. Reliqua ἐκθύματα quamvis ætatem aggrediuntur: neque semel tantùm, sed toties, quoties materia suppetit. Suppetit autem sæpiùs in iis, qui κακοχυμίαν contraxerunt, vel ex mala viscerum constitutione: vel ex prava vivendi ratione. Variolæ *ferè semper febri sunt stipatæ: quæ non perpetuò adest in ecphymatibus aliis.* Variolæ, *ut constitit ex disputatione secunda, & constabit etiam ex ultima, variis opus habent præsidiorum generibus, quæ & morbum ipsum, & causas illius, & symptomata urgentia, & vires respiciunt: quæ varietas non ita locum habet in cæterorum exanthematum curatione.*

XXIX.

Quomodo Variolæ cum peste concordent, & ab illa discrepent?

Conveniunt cum peste *I. quia ambo affectus sunt contagiosus. II. quia variolæ sæpè, ut pestis, sunt epidemiæ. III. quia sæpè malignæ & venenatæ, ut pestis. IV. quia utplurimùm cum febri conjunctæ, sicuti pestis. V. quia aliquando, velut pestis, ab aëre externo, eoque malignè corrupto, originem ducunt. VI. quia non raro lethales, pestis in modum. VII. quia ceu pestis affectus sunt universales & acuti. VIII. quia alexipharmacis & bezoarticis sæpiùs egent, quemadmodum pestis.*

Differunt inter se, 1. *quia omnis pestis morbus est: variolæ non omnes, ut dictum quæstione* 1. & 2. *II. quia variolæ minùs sunt lethales. III. quia minùs contagiosæ. IV. quia minùs malignæ & venenatæ, si tales. V. quia pestis sæpè πρό-*

θερμοὶ, sunt. VI. quia non, ut pestis, cum carbunculis & bubonibus conjunctæ. VII. quia cadunt præcipuè in puerilem & infantilem ætatem: pestis in ætates omnes. VIII. quia semel utplurimùm homines adoriuntur: pestis aliquoties eos invadere potest. IX. quia fiunt motu quodam κριτικῷ, prægressa ebullitione massæ sanguineæ: pestis ex inspirato aëre venenato gignitur, qui primùm vitæ principium, Cor, aggreditur: deinde partes alias, totumque corpus infestat: & plerunque characteribus quibusdam, petechiis, carbunculis & bubonibus se prodit.

F I N I S.

